



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Hermanni Conringii De Pace Civili Inter Imperii Ordines Religione Dissidentes Perpetuo Conservanda Libri Duo

Conring, Hermann

Francofurti ; Lipsiae ; Wittebergae, 1680

IV. Non, quia licet tolerare, licet absolute pacisci.

urn:nbn:de:hbz:466:1-9585

qui malum quod potest & debet impedire non impedit. Sic gubernator cooperatur submersioni navis, quam deberet gubernare, si ex odio v. g. aut negligentia eam permittat submergi, juxta S. Th. 1. 2. q. 6. a. 3. Ubi istud indirecte, illud autem prius directe voluntarium vocat. Utrumque reperitur in permissione cooperante. Hoc quidem in permissione Pilati, licet enim non præceperit Christum crucifigi, quem maluisset dimitti, directe tamen cooperatus est, ferendo sententiam & præstando sceleri auctoritatem judicis. Indirectæ cooperationis rei sunt principes & Magistratus, qui scelera tolerant, cum ea punire aut impedire possent, ideoque ex officio deberent. Est vero permissio cooperans seu directa, seu indirecta, *solum permissio comparatione præcepti*, quatenus dicitur permitti, quod non præcipitur, *ad respectu effectus est commissio.* Committit enim peccatum, qui illi cooperatur, & quidem ejusdem speciei: sic *furti reus est qui currit cum fure, & adulterii, qui cum adulteris portionem suam ponit.* Pl. 49 v. 18.

§. IV.

Non quia licet tolerare, licet absolute pacisci.

Id recte admonuerunt autores Compositionis Pacis c. 5. q. 26 n. 30. & Tanner. to 3 disp. 1 q. 9 dub. 3. n. 97. Tolerare enim mala intentione majoris boni aut metu majoris mali, licitum est & laudabile iisdem circumstantiis durantibus. Absolutè autem vel in perpetuum ejusmodi tolerantiam spondere, repugnat obligationi Principum & Magistratum. Ejusmodi enim promissio secludit circumstantias excusantes, quantum est ex intentione paciscentium, & natura pacti obligat ad malum tolerandum, etiam mutatis circumstantiis, quando id impediri posset, & ex officio deberet. Unde ejusmodi pactum non solum est ex genere suo illicitum, sed etiam irritum: *Quoties contractus est contra bonos mores juris naturalis aut divini, etiam si jure jurando firmetur, non fit ratus nec firmus.*

Prin-